



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

21. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

cōcludit Calvinus legale hoc esse Christi responsū, ut iuuenis proposita legis obseruatione quæ est impossibilis, infirmitatis suæ conuictus ad fidei subsidium se conferret, & insulsum & impium valde est. Impium est, dare Christo partes Moysis, ut falsum iam sit, *Lex per Moysen data, gratia per Christum facta est*: & e cōuerso dicatur, *Lex per Christum data est, gratia facta non est*. Insulsum est ad subsidium fidei ablegatum hunc iuuenem somniare. Nec fidei vlla hīc à Christo mentio, nec ad eam illū ablegare opus erat, qui iā Christo, quatenus tunc opus fuit, crediderat, illū pro veritatis magistro agnoscens, & ab eo, quæ ad vitam æternā via esset, discere paratus. Sic vndique Caluini ineptia & impietas palpanda se præbent.

21. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.*

Perfectio  
de qua  
Christus  
loquitur,  
quæ tan-  
dem.

**N**ON parua quæstio est, de qua perfectione hīc Christus loquatur, an ea quæ ad salutem necessaria est, Evangelica videlicet perfectio, ut hoc mundo utamur tanquam non vtentes, & diuitias tenentes, earum tamen affectū non teneamus; an perfectio aliqua maior, non quidem ad salutem necessaria, sed quæ maiorem mercedē & thesaurū copiosum in cælo accipiat. Quæstionis autē huius ambiguitas oritur ex ambiguo sensu illorum verborum Christi, *Vnum adhuc tibi deerat*. Nam vel deerat illi aliquid ad salutē necessariū, vel aliqua perfectio necessaria. Quid autē illi deerat, ambiguum est; quia quo affectu dixerat, *Hæc omnia à iuuentute mea seruasti, quid adhuc mihi deerat* ambiguum quoque sensum habet. Nam aut verè omnia seruauerat sicut dixit, & nihil ad salutem neces-

Luc. 16.

necessariū illi deerat, quia Christus iam dixerat, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*; aut non verè seruauerat, ideoq; deerat illi hæc perfectio quam Christus hîc describit, tanquam res illi ad salutem necessaria. Quòd verè, sicut dixit, mādata seruauerat, ex eo probabile fit, quòd Christus his auditis, *Intuens in eum, dilexit eum*. Neque enim dilexisset mentientem, vel ex arrogantia aliter præsumentem quam par erat. Huc accedit quod non animo tentadi, sed discendi studio accessit. Sed & si mandata non seruasset, non dixisset illi Christus, *Adhuc unum tibi deest*, sed potius, *Multa vel omnia tibi desunt adhuc facienda*. Magis tamen adhuc probabile est quòd verè mandata nō seruauerat, quia morbo auaritiæ adhuc laborabat, sicuti subsequens eius tristitia audito Christi responso manifestum facit; vnde August. hunc locū tractans Epist. 89. Homil. in diuites auaros. ait. *Puto quòd se arrogantius quam verius seruasse responderit.* Et D. Basilius eum planè auaritiæ morbo insigniter laborasse censet. Christus nihilominus *intuens in eum, dilexit eum*, tanquam adhuc proficiendi auidum, & maioris perfectionis cupidum, nec planè mentitum, quia sic seruauerat sicut vulgus Iudæorum seruanda putauerat, nemini quidem nocendo, non tamen proximis liberaliter subueniendo, aut amorè diuitiarum deponendo, quem spirituales Iudæi deponere sciebant, iuxta illud vnus eorum Prophetæ, *Diuitia si affluant, nolite cor apponere.* Christus igitur respondens ei, *Vnum adhuc tibi deest*, aliquid ei ad salutem necessarium deesse docet. Nempe contemptum diuitiarum, & vt fiduciam ac confidentiam suam in eis deponeret. Ad quem contemptum vt eum inducat, subiungit, non vt simplex præceptum in ipsa lege contentum, vt Caluissus hoc loco imaginatur,

ne nouum aliquid Christus induxisse videretur, sed vt medium quoddam aptissimum contem-  
nendi diuitias & omnem auaritiam abijciendi,  
*Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, &  
da pauperibus, &c.* Proponit igitur hoc Christus  
huic adolescenti, non tanquam aliquid simplici-  
ter omnibus necessarium ad salutem, sed vt illi  
auaritia laboranti & propter diuitias multas ma-  
gna earum cupiditate flagranti, tanquam reme-  
dium morbo suo valde oportunum. Qui enim  
diuitias sine earum nimio amore tenere non po-  
test, alienando illas, beneque collocando, ab in-  
sano hoc amore facile liberabitur. Dicit igitur  
Christus, *Si vis perfectus esse, id est, si cupis adhuc  
omnia quæ tibi desunt habere, abijce diuitias  
tuas, quas nimio affectu complecteris, & veni se-  
quere me,* meæ paupertati atque humilitati te con-  
formās. Sed ille amore diuitiarum victus, *tristis abs-  
cessit,* moxque Christus contra diuitum hominum  
statum periculosum (quia solent diuites amore  
diuitiarum vinci) in sequentibus disputat.

Volunta-  
ria pau-  
peras de-  
fenditur.

Techna  
Calui-  
niana.

In his igitur Christi verbis duo extrema sunt  
cauenda. Vnum est, ne præceptum generale exi-  
stimeretur, vt nemini liceat diuitem esse, qui fuit  
Pelagianorum error, quem S. August. conuellit  
epist. 89. Alterum est, negare hanc paupertatem  
voluntariam medium & instrumentum esse maio-  
ris perfectionis, qui fuit Vigilantij error, & hodie  
Caluini omniumque hæreticorum est. Dicit hoc  
loco Caluinus. *Retinere quod in manum nostram por-  
sunt Deus, si modò parcè & frugaliter nos & familiam alen-  
tes partem aliquam pauperibus erogemus, maioris virtutis  
est quàm omnia dilapidare.* Dicit dilapidare, pro eo  
quod dicere debebat, *vendere & dare pauperibus.* De  
eo enim est quæstio, & illud Christus perfectionem  
vocat.

vocat. Fuit autem eadem prorsus Vigilantij sententia, quam ex his Christi verbis D. Hierony. recte refutat. Quamuis enim qui simpliciter ad extinguendam auariciam diuitias relinquit, & pauperibus distribuit, rem facit salutis suae necessariam, & quod illi adhuc ad salutem deest, tamen tum ille ipse Christum praeterea sequendo, id est, perpetuae paupertatis & humilitatis seu obedientiae statum amplectendo, perfectionis statum aggredditur, & rem consilij facit, non praeccepti; tum multo magis qui nulla tali necessitate constricti aut compulsi ex puro Dei amore diuitijs carere volunt, quibus optimè in seculo vti poterant, excellentiorem perfectionem, vt August. loco citato loquitur, suscipiunt. Et sic haec verba perfectionis statum docent, & consilium Euangelicum proponunt.

Garrit hoc loco Calvinus nimis ridiculos esse Monachos, qui huius loci praetextu statum perfectionis sibi arrogant. Sed ille argumentis maxime ridiculis hoc probat. Primum quia non omnibus sine delectu hoc à Christo mandatur. Hoc quidem verum est, quia nullum est hic generale Christi mandatum. Sed quid hoc contra Monachorum institutum, qui non ex Christi aliquo generali mandato, sed vel ex remedio morbi proposito, vel ex consilio Christi & maioris perfectionis studio id faciunt, quod Christus hic docet. Non enim iubet Christus omnia vendere & dare pauperibus: sed ait, Si vis perfectus esse, si habes studium perfectionis, aut vis salutis tuae perfectam & plenam rationem habere, haec via est ad illam consequendam. Aliud argumentum non adfert Calvinus, sed meris conuictijs debacchatur. Ant Monachos pauperibus erogare iussos quae inste possidebant, suo iam non contentos aliena rapere. Vocat

Monasticus status defenditur.

Techna  
Calui-  
niana.

impostor impudens *aliena rapere*, quod est, ex pio-  
rum eleemosynis victum & vestitum accipere.  
Nec vider cæcus magister quid Christus in se-  
quentibus huiusmodi promiserit, qui suos aut sua  
propter Christum reliquerunt, nempe *centuplum in  
hac vita*: id est, multam & variam consolationem,  
vt nihil illis desit: novos patres, matres, fratres,  
sorores, vt in textu explicatum est.

32. *Apud homines hoc impossibile est: apud Deum  
autem omnia possible sunt.*

Observa-  
tio man-  
datorum  
quo sensu  
possible,

**H**OC Christi responso (ait in hunc locū Cal-  
uinus) vulgare illud axioma, quod ex Hieronymo  
hauserunt Papistæ, refellitur: Quisquis legem dixerit obser-  
uatu impossibilem, anathema sit. Clare enim pronuntiat  
Christus possibile non esse hominibus viam salutis tenere, nisi  
quatenus illis gratia Dei succurrat. Putida calumnia &  
cauillatio est cauillatore Caluino digna, vt Con-  
cilij Tridentini grauissimum decretum facili hac  
annotatione odiosum & infame reddat. Pelagia-  
norum sententia erat, *posse hominem esse sine peccato si  
velit*, & viuere absque peccato, totamque legem  
seruare, solius esse voluntatis humanæ. Hanc im-  
pian planèque ethnicam sententiam ex humanæ  
Philosophiæ lacunis depromptam studiosè refel-  
lit S. Hieronymus totis tribus libris contra Pela-  
gianos. In quorum tertio ita scribit. *Recordare quid  
& tu dixeris, & ego loquar. Posuisti hominem sine  
peccato esse si velit. Ego impossibile hoc in homine esse respon-  
deo: non quia statim à baptismo homo peccato non careat;  
sed illud tempus quando sine peccato est, nequaquam possibi-  
litate humane, sed Dei gratie deputatur. Tolle igitur posse,  
& ego esse cõcedã. Quomodo enim potest qui per se nõ potest?  
Et paulo post, inferente Pelagiano Critobulo,*

*Frustra*